

I. N. I.  
ORIGINEM ET RITVM  
SALVTATIONIS VESPERTINAE  
AD ACCENSA LVMINA,  
PRAESENTE  
PETRO IAENICHO,  
RECT. ET P.P.  
IN GYMNASIO THORVNensi  
CONJECTATIONE QVADAM INDAGAT  
ET DISPUTATIONI SISTIT  
IACOBVS KINZEL,  
MESERICENS. POLON.  
AD d. VI. Kal. Decemb. CCCCCXI.

---

THORUNIL,  
Impressit JOANNES NICOLAI, NOB. SENAT. ET GYMN.  
Typographus. ✓

VIRO  
Reverenda Dignitate, Doctrina & San-  
ctimonia vitae conspicuo,  
**Dn. MARTINO OLOFFIO,**

Pastori ad Ædem B. Mariae Virg: apud Thoru-  
nienses Polonico vigilantissimo ac meritissimo,

ut &

Spectabili ac Prudentissimo

*EX XIX. 261* **Dn. ABRAAMO Barendt/**

*rraddus Iudicij in veteri Civitate Regia Thoruniensi*

*Assessori Dignissimo,*

*Iemque*

*Prudenti & integerrimo*

**Dn. CHRISTIANO Ruffig/**

*Mercatori apud Thorunienses Florentissimo,*

*Hospiti, cognato, Affini ac Fautoribus suis perpetuo*

*ob servandis*

Tum grati animi, ob accepta beneficia, tum  
memoriae suæ causa, has pagellas, Dispu-  
tationi destinatas, debita reverentia offerit  
ac consecrat

*Respondens*  
**IACOB KINTZEL.**

## I. N. I.

**S**icutandi officium per antiquum & solenne omnibus est populis, qui a cultiori vivendi commendantur ratione, & interiori honestatis lensu prelioque virtutis, quae unicum venerationis fundamentum est, vel aliqua tantum parte tanguntur. Ut sane mirari satis hodierno tempore nequeamus stultitiam ac propemodum insaniam nonnullorum hominum, qui elegantiam morum & concinnitatem sanctiori Servatoris nostri disciplinae contrariam esse arbitrantur. Quasi illius auctoritas non alio, ac solo omnis extirpatae humanitatis fundamento niteretur: vel ipsorum singularis sanctimoniae perswasio vana ac morosa austeritas, illa esset demissio animi, ut falso quidem iactat Barclaius in *Apologia*, veris Christianis in scriptura scilicet toties commendata. Non vacat hic vertigini ac dementiae horum hominum afferre medelam, ad quam expugnandam alii dudum adiumenta quamplurima & rationes subministratunt. In praesenti tantum animus est inquirere brevibus in ritum salutationis vespertinae ad lumina accensa, ac proponere de illo quedam meditamenta, ex antiqui-

quitate remotiori repetita , aevoque nostro ali-  
quantum accommodata. Erunt autem ordinis  
causa constituenda capita duo : primum ritus ori-  
ginem & superstitionem <sup>non</sup> nullarum gentium circa  
ipsum declarabit ; alterum translati eiusdem ad  
Christianos nonnullam immutationem , finem et  
usum proponeat.

§. II. Generatim civilitas salutandi aut  
verbis declaratur , aut corporis quodam habitu ex-  
terno ad observandum alium composito : illa ver-  
balis , haec realis vulgo appellatur . Huius mo-  
dum inter varios populos mirifice & identidem  
temperatum merito hic describere supersedemus ,  
tantoque lubentius , quanto nervosius hoc praesti-  
tit Gvili. Stuckius in *Antiquitat. Convival.* L. II. 31.  
De priori tantum observandum duximus , tempo-  
rum vicissitudine magnam varietatem nominum ,  
titulorum , notionum , formularumque esse intro-  
ductam , qvibus in salutandis aliis mortales vulgo  
sunt usi . Erat apud Romanos nomenclator , qui  
Domino salutantium ac prensantium , rogandorum  
quoq; ac salutandorum civium nomina candidatis  
magis

gistratum, in memoriam revocabat, & quasi in au-  
res infarciebat, unde & Factoris nomine fuit appella-  
tus, itemque, uti non inanis Pignorii est suspicio,  
qui est ab atrio curando, s. atrii curandi custos. Alii  
erant nomenclatores censorii, sive a Censibus, uti  
inscriptions & documenta alia testantur, quae  
allegantur speciatim a Barnaba Brisson. in Lib: de  
form. Eccl. Valesio ad Ammian. Marcellin. Pi-  
gnorio de servis, & Casaubono in Sueton. Quod nam  
munus, quaeve dignitas & negotium Nomencla-  
toris in Ecclesia Romana fuerit, declaravit praeter  
Onuphrium Panvinium in Libr. de voc. Eccl. illu-  
stris Dominus duCange in Glossar. Latinit. med. in  
voce Nomencl. & Saccular. Titulorum mul-  
titudinem & ambitionem, a qua longe absuit vete-  
rum simplicitas, recentiori ævo inventam, praeter  
alios explicavit politicis scriptis Celeberrimus  
Boeclerus in dissert. de elegantia moris civilis &  
aulici. Non praetermitenda hic sunt voces &  
formulae nonnullae, quales solenniores apud Ro-  
manos erant AVE, SALVE & VALE. Di-  
versa temporis ratio diversum earum imponebat

usum. Matutino adhibebatur ave : salve autem  
& vale, vespertino. Accedentium uti erat allo-  
quum in congressu Salve, ita, vale , plerumque  
discendentium. Quanquam, ut fieri in aliis quo-  
que consuevit, non semel permutas voces depre-  
hendamus. Coniungebantur saepius Salve & va-  
le in discessu, & peractis exequiarum solennibus.  
unde quoque in epitaphiis frequens haec inscri-  
ptio : SALVE AETERNVM, AETERNVMque  
VALE.

¶. III. Altera natio est Graeca, quae do-  
Etrinae studia pariter & vitae cultum tenuit con-  
stanter, Latioque intulit felici auspicio, & in sa-  
lutandi civilitate exemplo aliis fuit. Frequentio-  
res voces, quibus usi sunt Graeci tam in epistolis  
quam in congressu & colloquio aliorum, erant  
potissimum duae : χαῖς & ωνταις. Frequentius  
illa, sub initium epistolae, hac, more Pythagorico,  
in fine utebantur. Nec raro notione , ἐγένετο ,  
literas obsignabant. Meminit Stephanus le Moy-  
ne in observationibus & notis ad epistolam Polycar-  
pi, quod

pi, quod, cum charta Epistolae significationem ob-  
tineat, ex χαιρε notione venerit, in fronte Lite-  
tarum poni solita. Occasionem hic dedit Bynaeo,  
quare non aliter sentiret in tract. de natali Domini.  
Omittenda haec sunt, quando occurunt animo,  
quae vespertino tempore fecerunt Graeci & quo-  
modo voce, de qua modo diximus, sunt usi. Re-  
ligionis enim causa vesperi illato lumini eum habe-  
bant honorem, dicentes : χαιρε αγαθὸν φῶς SALVE  
LVMEN BONVM. Conf. C. Rhodigin. lect. antiqu.  
lib. XV. 15. Clarius haec leguntur in Menagia-  
nis P. II. p. 206. Consimilis ferè huic fuit mos Roma-  
norum, qui pariter lumini salutatione religiosa cul-  
tum deferebant, eratq; in primis solemne animi  
deliquium passis, ad seque redeuntibus dicere :  
SALVE LUX.

§. IV. Temeritatis quidem notam vix  
effugeremus, nisi ut uniusquisque facile intelligit, in  
salutandi negotio superstitionis labo, supra allega-  
tas voces, carere arbitratremur. Sunt tamen  
multae rationes, & non contemnenda antiquitatis  
docu-

documenta, quae nos movent, -ut antiquos paganos, praesertim rudiores, ab suspicione inepti cultus, delati luminis splendori, liberos pronuntiare haud queamus. Quid enim lumine ipsis fuit sanctius? Quid sole, quem luminis fontem & Promum quasi Condum cum Platone dicebant, venerabilius? Latere in igne & lumine vim quandam divinitatis, persvasum fere erat omnibus, nec fortiori errore ullius rei cultum ferebantur, quam ignis, solis, et luminis. Fidem dictis conciliabit eruditissima, praeclare docti G. l. Vossii *commentatio de orig: progress. idolatriae lib. II. c. 65.* Praeterquam enim, quod idem ille satis clare demonstret, Persas & ante ipsos Chaldaeos ignis luminisque cultores extitisse, tum Graecos atque Romanos eadem superstitionis impietate fuisse implicitos non distetur. A cultu ignis sine dubio innotuit UR, Chaldaeorum civitas, ubi Abraamus vixisse ignis que cultor a nonnullis esse dicitur. vid. notae Hornii ad Sulpit Sev. H. S. Quanquam non negare queamus, nos libenter virum rectiori disciplina a suis parentibus institutum esse, ac sine dubio ab illa

ab illa insigni superstitione immunem arbitrari. Est autem VR, & OR, *lumen, Lux & Sol.* Vnde Aegyptiorum *ñgoc* & Graecorum *æugioy*, cras ac Latinum *aura*, qua splendor radiique solis circumfunduntur, nec minus Latinum illud, *uro*, inde originem trahere videtur. Extra controversiam est sapientiores Lumini, veluti Dei Symbolo, honorem obtulisse, invalesce autem hominum impietate, & adiuvante Sathanae austutia, Symbolicum in proprium degenerasse. Qua de inepta cultus dubitabit nemo, ut nec illi, qui alioquin impietatem paganorum ac deliramenta, praepostero affectu duci, mitigare solent, dubitandi ullam habeant occasionem.

¶. V. Dicit nos meditandi propositum ad Diaboli ludibria, quibus miseros delusit, & ad ignem sacrum, in templo Hierosolymitano sacrificiis consumendis divinitus destinatum, improbe aemulandum incendit. Hinc sacer & aeternus ignis inter paganos *V. Halicarn. lib. VI. Curtius lib. III.*, qui mira solicitudine & religione fuit custodi-

B

eus.

rus. Audiamus Florum in vita Numiae : *focum*  
inquit, *virginibus colendum dedit, ut ad simula-*  
*chrum coelestium siderum custos imperii flamma vi-*  
*gilaret.* DEUS ipse cum lumine se comparavit  
in scriptura. Saepius quoque ens invisibile &  
immensum in flamma ignis, in lumine undiqua-  
que circumfuso, in ardenti igne & tubo, appa-  
ruit. Angeli, flamma ignis dicuntur. Hinc Sa-  
chanae fraudibus decepti, immensisque tenebris  
immersi pagani ignem, lucem, solem & sidera  
crassissimo errore pro Diis habuerunt. Meren-  
tur hanc in rem conferri lucubrationes Vossii, Io-  
annis Dougtaei *Analect. sacr. excurs. XLVI.* §  
LX. C. Rhodig. *lection. antiqu. LXV. c. 15.* 16.  
17. §c. P. D. Huet. *quaest. Alnet. de concordia*  
*rat.* § *fidei lib. II. c. 12. q. 10. 14. 21.* Non  
possumus hic nos temperare, quin, quam frau-  
dem Doctiss. Casaubonus deprehenderit in Psev-  
do-Mercurio Trismegisto, tantopere a nonnullis  
praeter causam celebrato, referamus. Estq; is:  
Poemander quispiam introducitur, qui Mercu-  
rium hunc in modum instruere singitur: *Ego sum*  
*lux*

*lux illa, mens, Deus tuus, qui eram ante natu-  
ram humidam, (aqua) quae ex illis tenebris primo  
eruperunt : e mente procedens, verbum lumi-  
nosum, filius Dei. Quis non videt clare deci-  
piendi astutiam miserumque verborum cento-  
nem ex Platonis nonnullis formulis & scripturae  
s. inepte compilatum. Non poenitebit legisse  
ipsum Casaubonum exercit. I. Q. 10. ad Baronii an-  
nales. Satis magna sic fuit calliditas paganorum,  
qua usi in furtis suis tegendis, nec minor arrogantia,  
quando fabulis innumerabilibus, quae ab Ebraeo-  
rum disciplina acceperunt, impie commiscuerunt,  
ne quicquam aliis se debere viderentur. Ut exinde  
non parum deceptos Spencerum & Marschamum,  
magno ceteroquin ex Anglia viros, esse existi-  
memus, cum inverso ordine docuerunt, a paga-  
nis, quicquid ceremoniarum & cultus inven-  
tum, ad Ebraeos, non autem Ebraeorum nonnulla  
ad paganos pervenisse. Quae de Baptismo &  
circumcisione sunt ab ipsis disputata correxit di-  
sputationibus duabus solide, doctrinae purioris in  
Academia Vittembergensi custos venerabilis*

Dn. D. Wenrsdoffius, quem DEV Secclesiae quam  
diutissime superesse sinat. Unicum iam restat,  
quod praetermittendum non esse duximus, ut dicam  
mus quaedam de luminis ignisque elegantissimo  
receptaculo, sole videlicet, quem summo cultu &  
veneratione tantum non ab omnibus populis ac-  
cepimus esse observatum. Vix enim ulla exsticte  
gens superstitioni dedita, quae lumen Solis, solo  
tantum nomine parumper mutato, non coluerit.  
Quod etiam de Indis ante ducentos annos recte  
cognitis & de Samoydis aliisque populis versus  
Septentrionis partes incolentibus, insvetis & Bar-  
baris, itinerariorum confectiones referunt, solis ni-  
mirum cultum esse ibidem frequentissimum. Conf.  
I. G. Vossius de Theol. Gentil. Vnos tamen hic  
Atlanta excipiendos tradit Herodotus in Melpo-  
men. p. 124. ed. Steph. Hi enim, inquit, solem tran-  
scendentem execrantur, eique praeterea omnia con-  
vitia ingerunt, quod torridus & ipsorum regionem  
perdat. Quod ipsum etiam de incolis prope  
promontorium Bonae spei habitantibus, quos  
Hottentottos vulgo nominant, nonnulli affirmant.

Ex

Ex quibus iam dictis conficitur, veteres meliori lumine religionis destitutos, ipsius luminis superstitiones fuisse adoratores, atque ideo vespertino quoque tempore, quo tenebrae temperari aucti pelli solent, religionis causa accensum illud salutasse. Noctis enim tenebrae cum tristitia soleant homines afficere, sic lucis beneficio, olim recreati, laeti eius splendorem intuebantur, nullas que non reverentia dignum vel simplicissimi censerunt. Nec dubium est ullum, quin ex Ebraeorum <sup>LN</sup>, quae notio Deum notat sit, Graecorum <sup>Hλιος</sup>; Altius Vossii conjectura surgit, & ex El Ebr. facit Bel, ex Graecorum autem <sup>Hλιος</sup>, sol Latinorum, H in ο mutato, & Spiritu aspero, ut aliis factitatum, in sibilum converso. Qua auctoritate mentis inductione moti pagani fuerint, quare in sole uno, veri Numinis non tam effigie, quam umbra tantum, omnia religionis studia figerent ac collocarent, egregie disputavit Vossius c. 2. L. II. I. c. ubi ex veterum monumentis potissimum figuram rotundam, velut perfectissimam, efficaciam & vim, sublimitatem, sedem, nitorem, lumen denique & undiquaque sparorum

radiorum congerient ac splendorem veluti cau-  
sas superstitionis annotavit. Plura non repe-  
temus, quae uberioris loco modo allegato legun-  
tur. Non pigebit Thomae Aquinatis succincte  
propositam sententiam afferre, quae docet, unde  
emanaverit hic paganorum error : Homines  
inquit, imbecillis intellectus non valentes corpora-  
lia transcendere, non crediderunt aliquid esse ultra  
naturam corporis sensibilem, & ideo inter corpora-  
lia posuerunt praeceminere & disponere mundum,  
quo pulchriora & digniora in eo videbantur : &  
in eis impendebant diuinum cultum : & huiusmo-  
di sunt corpora coelestia, scilicet sol, luna, & stellae.  
Sed istis accidit, sicut alicui eungi ad curiam Re-  
gis, qui volens videre Regem, credit, quoscumque  
bene induitos, vel in officiis constitutos, Regem, esse.  
Docta & praeclara de his praeter Casalium de vet-  
ritib. s. collegit Gisbertus Cuperus in Harpocrate.  
Quo in libro vir praestantissimus solis cultum  
inter varias gentes receptum, multaque stolidi-  
tate defensum, non descripsit tantum, sed etiam  
omnem superstitionem veterum ad solem lunam,

que

que ingeniose retulit: Eruditissimi Abrincen-  
sium Episcopi P. D. Huetii forte exemplo indu-  
ctus, qui, sub fraudulenta paganorum supersticio-  
ne historiam & res gestas duum virum Israe-  
liticorum Mosis & Iosuae, delitescere in sua de-  
monstratione Evangelica confirmare est annis.  
Quae sane eruditionis ac coniectandi intemperies  
magnis viris merito condonanda est, propterea,  
quod insignem doctrinae copiam & exquisitum  
ingenii acumen ubique ostendat, aliisque exem-  
pto esse debeat, ne in inquirendo vero aut dete-  
gendi idololatrarum vanitatibus segniores inves-  
tigantur.

¶. VI. Nunc necesse est, ut instituti mé-  
mores ad aliam progredianiur partem, quae o-  
stender, quomodo ritus, de quo commemoravimus,  
ad Christianos permanaverit, a superstitionis ras-  
men nota vacuus ac perpurgatus. Sublato enim  
per Servatorem sanctissimum sepimento, quo pa-  
gani ab Ebraeis seiungebantur, ex utraque gente in  
communionem coetus collecti Christiani coalu-  
erunt,

runt, tunc quorundam, civilium in primis, quibus ab infancia erant imbuti, non plane immemo-  
res. Hinc factum, ut nonnullae ceremoniae in-  
stitutaque, saltim, ne offenderentur infirmi, ob-  
tinuerint inter primos Christianos, quae vero  
successu temporis, doctrina salutari latius diffusa  
confirmataque, expirarunt. E contrario Roma-  
ni Pontifices, revocatis ex paganismo ac Iudaismo  
ritibus, splendore in, qui videbatur deesse, in Ec-  
clesiam invehere praeter rem causamque tenta-  
runt, vid. P. Richard *comparaison des Ceremo-*  
*nies des Juifs & de la discipline de l' Eglise.* Por-  
ro in mandatis dederunt eis, quos ad paganos  
ablegaverunt convertendos, ut templis, altaribus,  
aliisque supellecili paganorum parcerent, reten-  
tisque ritibus quibusdam, pedetentim eosdem  
demulcerent. Memorabilis ea de re est Episto-  
la Gregorii M, ad Augustinum quendam, qui ad  
Anglos diviniori doctrina imbuendos missus erat,  
ex qua sequentia excerptimus: diu mecum, inquit,  
de causa Anglorum cogitans tractavi, videlicet,  
quoniam fana idolorum destrui in eadem gente minime  
debet

debeant: sed ipsa quae in eis sunt, idola destruan-  
iur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis asper-  
gatur, altaria construantur, reliquiae ponantur:  
quasi si fana eadem bene constructa sunt, necesse  
est, ut a cultu daemonum in obsequium veri Dei de-  
beant commodari: ut dum gens ipsa eadem fana  
sua non videt destrui, de corde errorem deponat,  
Et Deum verum cognoscens adorans, ad loca,  
quae consuevit, familiarius concurrat. Et qui bo-  
ves solent in sacrificio daemonum multos occidere,  
debet his etiam hac de re aliqua solennitas immuta-  
ri; ut die dedicationis vel natalitio sanctorum  
martyrum, quorum illic reliquiae ponuntur, taberna-  
cula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis com-  
mutatae sunt de ramis arborum faciant, Et reli-  
giosis conviviis solennitatem celebrant. Nec dia-  
bolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in  
eius suo animalia occidunt, Et donatori omnium de-  
satietate sua gratias referant: ut dum eis aliqua  
exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia  
consentire facilis valeant. Nam duris mentibus  
simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium

est: quia is, qui locum summum ascendere nititur,  
gradibus vel passibus non autem saltibus elevatur.  
Registr. L. IX. Ep. 71. Ut raseamus, quae in In-  
dia his temporibus legimus magno aliorum dis-  
fensu suscepta. De illis, quae diximus, dubium  
nemini esse potest, qui legit Polydor. Vergil. L.V.  
l. de invent. rer. recentior eo est, neque tamen  
dissentit Io. Ciampinus, scriptor Romanus in pre-  
tioso nitidissimoq; opere de Veteribus monumentis  
op. Musivis Eccl. cap. 19. Ed. Ro. in fol. cum quo  
coniungendus est Fauchetus in Antiquit. Gall. L.  
ll. 19. Et Casal. derit. S. Vet. Christ. c 60. Plura eaque  
emendata atq; ad nostra tempora identidem com-  
modata suppeditavit B. Hunnius in Apost. R. E.  
atque Mussardus de ceremoniis Gentil. in Eccle-  
siam invectis, qui liber magno multorum com-  
modo ex gallico in sermonem nostrum Lipsiae  
est conversus.

2. VII. Nullum est dubium, quin lumi-  
num festi dies & lucernarum usus, ex consve-  
tudine paganorum irreperitur in ecclesiam Ro. De  
Aegyptiis constat, sacra ipsos celebrasse, in quibus  
universitate

universi circa Domos frequentes lucernas accen-  
dunt, imbutas sale, & oleo plenas, cum multo lychno,  
quod tota nocte ardet. Festo nomen huic impo-  
litum est, *Accensio luminum*, ut testis est *Horodo-  
tus L. II. p. 50. conf. Casal. de rit. Aegypt.* Quid  
Romae accidit mense Februario, in Proserpinæ  
honorem, quantaque celebritate luces sunt por-  
tatae, notius est, quam ut edisseramus. Retice-  
re id non possumus, quod *B. Rhenanus in annot.  
L. V. ad Tertull. contra Marcion.* retulit, hunc vi-  
delicet ritum ansam dedisse festo purificat: Ma-  
riae, quod cereis & luminibus solet celebrari.  
Multa disputavit de origine huius instituti lumi-  
num festi *C. Baronius in notis ad Martyrol. Ro-*  
*Neque Iustiniano Imperatori, sed Gelasio, illo an-*  
*tiquiori institutionem tribuendam censet, ab eo-*  
*que Lupercalia paganorum in festum illud Chris-*  
*tianorum mutata esse scribit.* Pari ratione ab  
Aegyptiis lucernarum consuetudinem mutuasse  
ecclesiam, ritumq; festo ascensionis Christi ob-  
servari solitum, in annal. Ao. 58. §. 28. docet.  
Nihil horum in ecclesia Apostolorum temporis

bus proxima in usu fuisse legitur, quod nec ipse  
Baronius diffitetur. Oratio Gregorii Nazianzeni,  
quae in festo luminum habita legitur, alium indi-  
cat diem, nempe, qui memoriam servat baptiza-  
ti Servatoris in Iordanе, qui dies Graecis erat fe-  
stum luminum, seu Theophaniorum, non Epiph-  
niorum, ut perperam iudicat autor *annotat.* ad  
**Mussardum** p. 75. Ei rei indicio est *Thomas*  
*Smith, in descriptione stat. hodiern. ecclesiae Grac-*  
*cæ p. 19.* Cum lumine semper Graecis compa-  
ratus est Baptismus. Hinc Photisterium idem  
quod baptisterium, & vestis, qua induitur bapti-  
zatus, vocatur a Gregorio ἡμφάθειας ιωάννης, qd.  
Ιωάννης τοῦ φώτου ἡμέρας. Egregia sane similitu-  
dine, quae nos dicit ad collatum luminis divini  
beneficium recte pensitandum. Melius enim  
haec cum sensu Spiritus S convenient, quam illa  
ex Paganismo repetitae & in ecclesiam inventæ  
consuetudines & ritus, ut ut inflecti videantur ad  
Christi disciplinam. Nulla enim est lucis & te-  
nebrarum communio. *I. Corinth. VI. 7. 14.*

§. VIII. Sed descendamus iam ad lumen  
vespertinum, quo accenso nonnulli salutandi  
officium sibimet praestant. Pertinent huc verba,  
elegantissimis doctrinae studiis imbuti Aegidii  
Menagii, quae in Menagnianis leguntur p. 295.  
Part. II. Legere verba Gallica eius non erit in-  
ducendum : *Quand on apportoit la lumiere le soir,*  
*les Grecs disoient anciennement :* χαῖρε φίλο Φῶς  
*Salve amica lux.* Au lieu de cette expression, les  
Grecs d'aujourd'hui se donnent le bon soir, lors  
qu'il y a compagnie. La même chose se pratique  
en Italie, en Provence & ailleurs. On ne dit rien  
à Paris. Civilitas quaedam est haec consuetudo,  
quam in Italia, Provincia & alibi observari dicit  
Menagius, addimus his Prussiam nostram, ubi  
eodem modo hic mos deprehenditur esse rece-  
ptus. Quem si ex Oriente a Graecis per ordi-  
nis Teutonici equites hoc delatum dixerimus,  
non inani coniectura nos asselutos quicquam esse,  
videbimur. Fortasse cum veteres Prusses ignis  
cultores quoque reperirent, ipsi vespertino tem-  
pore luminis, ut de Graecis iam audiemus, sacri-

Divinitus accepti hoc magis memores esse voluerunt. Atque ita a maioribus hic traditus mos, ad nostra tempora fluxisse videtur, nec, cum ultra superstitione, impietate aut invenustate laboret, ullam causam, quare improbari debeat, subesse unusquisque facile animavertit. Ceterum, si haec applausum non habitura sunt, alius dissensu sibi placere potest, nec nos gravabimur, rectora, si adsunt, de origine huius ritus audire. Saltim, non statim quis, ut placeat alii, fieri potest, quemadmodum dixit olim Bias, placenta vel vinum Thasium. Quod reliquum est, quando de Graecis modo mentionem iniecimus, necesse est, antequam finiamus, ut pauca quaedam de solennitate cultuque sacro, ad luminis vespertini tempus instituto, adiiciamus. Vetus ceremonia apud ipsos, nec hodie inglecta, vesperi supplicationes facere hymnumque decantare. Vnde ipsum hoc officium *Lucernarium*, quia ad accensas lucernas peragitur, appellari solet. Test. *du Fresne in Gloss.* & *Vfferio in Symb.* *Apostol.* *Hymnus*, quem canunt, diversus est a matutino,

per-

perantiq<sup>us</sup> ille & in Horologio Graecorum cui-  
dam Athenogeni Martyri ascriptus, qui aequalis  
Clementi Alexandrino, & hymno hoc fratribus  
in igne, quo comburendus erat, valedixisse per-  
hibetur. Latine redditus est ab Vsserio &  
Th. Smith, atque sic incipit : *Lumen hilare, san-  
ctae gloriae immortalis Patris, sancti, coelestis, bea-  
ti, Iesu Christi. Cum ad solis occasum perveneri-  
mus, lumen concernentes Vespertinum, laudamus Pa-  
trem & Filium & Sanctum Spiritum Dei. Vo-  
cari solet ἵμαχος & τοπερός Θάκης.* Diversa  
canendi solennitas a Philotheo Patr. Constantino-  
pol. proponitur iuxta τοπερόν μέγα, & μικρόν. Me-  
tro Lambico inclusit Prudentius hymnum, o lux bea-  
ta Trinitas &c. Germanicumque reddidit B. Luth.  
Der du bist drey in Einigkeit. &c. de auctore hy-  
mni & ritu hoc Basilius olim de Sancto Spiritu  
ad Amphilochium sic loquitur : *Visum est Patri-  
bus nostris Vespertini luminis gratiam haud qua-  
quam cum silentio suscipere, sed mox, ac apparet, a-  
gere gratias. Quis autem fuerit Auctor illorum  
verborum, quae dicuntur in gratiarum actione ad*  
*Lu-*

Lucernas, id est, ad Vesperas, dicere non possumus.  
Populus vero antiquam profert vocem, neque usi un-  
quam impietatem committere, qui dicunt laudamus  
Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum Dei. Plura  
de his dabit Stephanus le Moyne in not. ad Hip-  
polyt. Sermon. & Tenzel. in Exercit. X. Nuper ad-  
modum haec iterum aliaque multo iudicij acumine  
collegit D. Heineccius, vir in historia versatissimus,  
in Tractatu Histor. de veteri & hodierna Eccl. Gr.  
P. II., 4. ubi etiam hymnum, de quo com-  
memoratum est supra, Germanice redditum invenies.  
Deseruit proh dolor! hodie multopere Graeco-  
rum religionis ardor, & multi naevi superstitionisq;  
indicia ibidem reperiuntur. Id quod, si ex alio, sanc-  
ex sacro igne Hierosolymitano apparet, quem ve-  
luti divinitus in memoriam resusciati a mortuis Ser-  
vatoris in sepulchrum Christi delapsum, religione  
multa observant, multoque pretio accensas ab eo  
faces nocte, quae Paschatos diem praecedit, velut  
miraculi plenas, superstitosum vulgus redimere  
solet. Non sine miraculo hunc ignem esse persua-  
dere aliis, aliorum auctoritate adducta, conatur  
illustris

*illustris du Cange Glossar. lat.* Ampliora, & quo-  
modo ab antiquiori norma deflexerint hac in parte  
Graeci annotavit Celeb. Heinoccius P. III p. 407. Ego.  
Sed hic subsistendum. Ad extremum, aeqvum est,  
uti, ne parum officiosi videamur, persolutis Patri lu-  
minum gratiis, Tibi, B. L. acclamerus

SALVE & VALE !

---

### SUPERPONDIA.

- I. Luc. X. 4. Non interdictum salutandi, sed festi-  
nandi praeceptum continetur. D. Augustinus lo-  
cum hunc allegorice in Homilia exponit. Quo  
ipso asyli in rusticatis Anabaptisticae plane con-  
vellitur.
- II. Multa habet lux cum igne communia, tamen  
inter se differunt. Ita non statim ignis, ubi lux.  
Nec ubi ignis, ibi semper lux.
- III. A pororum dispositione dependet, quare ni-  
grum corpus, Soli obversum, citius & fortius in-  
calescat, quam album. Hinc linteum candidius  
speculi uestoris beneficio lentius exuritur, quam
- IV. Non omnis ignis urit. (sordidum.)
- V. Sol est corpus impurum, mixtum & igneum.  
Conf. Honorat. Fabri, Tract. VIII. Phys. L. I.

d

Hu-

Humanissimo ac scientiarum cupidissimo  
Respondenti  
P R A E S E S.

**V**T lumen in rebus naturalibus longe est putcherrimum, sic ingenuarum artium lumen, quod laboranti inter errorum tenebras accenditur menti, multo in vita necessarium ac iucundum est. Sunt quidem, quos inusitata quaedam vis lumenis, ab natura fautorice concessi, sustentat mirifice adiuvatque, ut insignis prudentiae laudem aliquando adipiscantur. At vero, cum artes omnes naturae quasi sunt administræ, & industria vires naturae eliciat magis perficiatque, animus omnino, iusta adibita cultura, confirmatur melius sine gravi errandi metu. In eam ingressus Tu es viam, Respondens humanissime, quando illam naturalem mentis præstantiam liberalis doctrinæ studiis augere quod te tentasti, ad quam sublevandam magis nostram quoque efflagitabas operam & assiduitatem. Non adeo quidem diu, bene tamen illam tuam discendi arditatem perspeximus, Tu vero, ut putamus, dexteritatem quoque nostram. Quia non defuissemus in posterum, nisi aliter suaderent rationes Tuae. Hæc sunt cæque

ea que idoneae satis, parentumque consilium, quo indus in Academias properas, quæ exemplis scientia animum augere possunt. Id quod institutum, ut Tibi eveniat bene, aeterni auxilium Luminis, quod ubique praeluceat, ex animo apprecamur, cuius beneficio adiutus, minime fausto conatum excides successu, nec in tenebris undiquaque iam ingruentibus, unquam, ut speramus, errabis. Vale res Tuas feliciter age!

**S**ic studii specimen monstras, sub Praeside claro,  
Quod dare nunc nobis, non sine laude, paras.  
Maëste tuo ingenio, Kintzeli, svavis amice,  
Pergito sic famam multiplicare tuam.  
Sic Patriae cum laude tuae, inservire valebis,  
Sic clarum poteris laetificare Patrem.  
Quod super est Decus hoc toto tibi pectori grator  
Atque precor navi vela secunda tuae.

Haec pauca Praestantissimo Dn. Respondenti populari & stimatissimo Amico o-

primo gratulabundus addere voluit

I. S. C.

**F**est mos ad lycinos alios salvere jubere:  
Tu moris causas Kintzel Amice doces  
Est specimen multa de Crinae luce coruscum  
Ac ardescantis sedulitatis opus

Gra.

Gratulor, & voveo, ut lux haec plenissima facta,  
Inveniat, meritum, qui tibi dicat ave.

Ita bene volo affectu ornatissimo Respon-  
denti applaudit

Iohannes Fridericus Thomas,  
Thorun, Opp.

Ergo, Polite, vale dicis? ne dicio cunctis  
Musis; signabunt nomen ad astra tuum.  
Nomen ad astra tuum tollet provincia laude,  
Plena, quod astrorum lumina mensus eras.  
Quod defendisti, musas & ubique saluta,  
Iusta salutandi verba fuisse DEi.

Hanc ego, quam possum, ex animo tibi dico salutem  
Adsit ubique Comes Tutor Jova tuus.

His discessum Politissimum Responden-  
tem comitari voluit  
Paulus Keler.

Hung. Bartph, Opp.

Conatum huncce tuum voto comitabor Amice,  
Aspiret coeptis, opto, JEHOVA, tuis.

Hicce animam suum ornatissimo Dn. Re-  
spondenti, Amico & contubernali sva-  
vissimo probabat

Martinus Fridericus Steinhauffa  
Rawiccaensis Polon;